

festorum suppressionem, suppressas non esse vigilias eorumdem<sup>1</sup>, [excepta vigilia s. Josephi et Annuntiationis] neque vigilias ex peculiari lege vel voto hucusque servatas.

c) Ne vero oblivioni sit locum, in missa parochiali, vel in sermone, vel, quando major populi concursus habetur, de jejunii diebus sequenti in hebdomada recurrentibus, fideles admoneantur.

d) Quamvis Pastor uti Parochus ab harum legum observantia peculiari in casu fideles dispensare possit, et quo confessarius [nisi expressa delegatione gaudeat] peculiari in adiuncto caussas ab his excusantes adesse declarare valeat, attamen dum, caritate, severitas legis mitigatur, ne vero omnino confodiatur cavebit. Quapropter:

I. Ut haec dispensatio cum minima legis iactura locum habeat, sedulo Pastor curabit. Idcirco sia ientaculo matutino solvere satis est, a vespertina collatione ne liberet et vicissim, et si haec sufficient, a toto jejunio ne dispensem.

II. Ut fideles adeo impendant virtuti quod subtrahunt voluptati ut dum caro ab alimentis absinet, mens pariter a culpa ieunet<sup>2</sup> illis suadeat. Finis, enim, ieunii in eo est ut carnis concupiscentia reprimatur, ad divinas res mens facilis elevetur, et satisfactio pro peccatis Deo exhibetur.

III. Potiusquam radicitus ab his legibus Pastor dispensem, adeo eas in alias obligationes ac pia opera commutet [uberiores, nempes eleemosyna<sup>3</sup>, ferventiores orationes, frequentior divini verbi auditio] ut in aliis piis operibus christianisque virtutibus exercendis ardentius studium fideles impendant. — In eleemosynis tamen imponendis, ne pecuniae sitim adeo ostendat Pastor ut de dispensatione mercaturam agere videatur, et his tantum, per quam moderate, et generatim imponendae sunt qui, absque gravi incommodo, eas peragere videntur. Si vero, potiusquam sibi, alicui bonae operae vel pauperibus directe tradendas jubeat, incommoda plurima [eaque gravia] devitabit.

e) Haec omnia in quadragesimali ieunio, quod olim a Prophetis primitus adumbratum, ipsius Domini Nostri J. C. exemplo veluti consecratum, ab Apostolis traditum, et a sacris canonibus ubique prescriptum, et ab universalis Ecclesia, ab ipso sui primordio, retentum et observatum<sup>4</sup> praesertim locum obtinent. Quod [una cum coeteris ieunii ac abstinentiae diebus] quantum fere ubique in despectum ac contemptum venerit, numquam satis lugebitur. Mundus senescit, et senescendo fit peior!

<sup>1</sup> S. C. C. 18 sept. 1911.

<sup>2</sup> S. Carol. Borrom. *Concil. Prov. I* p. II, cap. 7.

<sup>3</sup> Cfr. Epist. Secret. Status, *Ad Arch. et Episcop. Americae latinæ*, 17 jan. 1910.  
<sup>4</sup> S. Thom. II<sup>a</sup>, II<sup>ae</sup> q. 147 a. 1 ad. 3.

### § III. — De postremo Ecclesiae pracepto, seu de *decimis* solvendis.

SUMMAE RERUM. — 440. Quo jure hoc praceptum innitatur — 441. Variae in re rationes indigitantur — 442. Quae inibi a Pastore pree oculis habenda sint.

440. — Tum iure naturali, tum divino ac ecclesiastico, ad divinum cultum ac vitae necessaria suppeditanda Pastoribus, fideles adstringuntur. *Quis, enim, militat suis stipendiis inquam?*<sup>1</sup> *Dignus est operarius mercede sua*<sup>2</sup>; *qui in sacrario operatur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant; ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere*<sup>3</sup>. Ecclesia vero, evidenti huic necessitati consulens, ut Pastoribus decimas [decimam, nimirum fructum partem] fideles solverent, iure meritoque decrevit.

441. — Sed, procedente tempore, tum propter horum vicissitudinem, tum ut securius provisum esset, *ecclesiastica beneficia* [ex fidelium oblationis conflata] constituta fuere, quibus, ut plurimum, cultus Pastorumque necessitatibus, in quantum circumstantiae sinunt, consultum est. — Alibi vero gubernia quae ecclesiastica in publica aeraria [?] coacervavere vel dilapidavere, bona, compensationis [?] ad instar, *pensiones* Pastoribus ac animarum curam habentibus decrevere. — Quibusdam in Nationibus, autem, sacrorum suorum bonorum iniquissime expoliata Ecclesia, nil quam fidelium oblationes habet, quae, ex episcopalni preecepto, ipsis singulis, *taxarum* ad instar [*denier de clergé*] imponuntur, quibus, in quantum licet, cultui Pastorumque necessitatibus subvenitur. — Tandem paucis in Gentibus *privatarum oblatio* habetur, qua, tamen, potiusquam legi, eorum erga Pastorem grati animi sensui fideles obsequuntur.

442. — In re, igitur, pauca addenda supersunt, nimirum:

a) Ubi decimarum lex viget, ad illam servandam *sub gravi* fideles tenentur.

b) Ubi in re ab Episcopo statutae taxae habeantur, si eas colligere Parochi recusaverint, ut vel per se, vel per alios hoc praestent, eos sub gravi cogere, et, post monitiones, poenis canonicas inobedientes persecui, eosque si contumaces fuerint, [servatis de iure servandis] etiam a paroecia amovere, Episcopus postet<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> I Corinth. IX, 7.

<sup>2</sup> Math. X, 10, et Luc. X, 7.

<sup>3</sup> I Corinth. IX, 13, 14.

<sup>4</sup> S. C. C. in *Carcassonen.* 29 april. 1911. — Cfr. *decret Maxima cura* cit. can. I; S. Poenitent. 20 nov. 1902, 8 mart. 1898,

2 sept. 1887, 4 maj 1897, 7 mart. 1889;

SS. C. EE. et RR. 15 jun. 1906, Gen-  
nari, *Consultaz. morali-can.* 85. — Epist.  
Segret. Stat. ad *Ordin. Galliae* 8 oct.  
1902.

c) At in his colligendis decimis, haud nimis adamussim a Pastoribus urgendum, ne avaritiae suspicionem in fidelibus ingerendo, religionem catholicam ipsis odiosam, et acatholicis contemptibilem reddant<sup>1</sup>. Quantum, enim, pecuniae aviditas pastorale commaculet ministerium et, cum fidelium animo, et eorum quoque liberalitatem a Pastoribus avertat, adeo in comperto est ut illud recoluisse sit satis. Vae [iterum monimus] paroeciae tanto commissa publicano, Pastori tanto infando vitio indulgenti vae! Caritas Christi urgeat nos semper! Omnia transeunt, Ipse solum in aeternum stat!

<sup>1</sup> Cfr. Concil. Baltim. III, n. 292, 293;  
Noldin, *Op. cit.* n. 704.

## CAP. III.

DE QUIBUSDAM AD SPIRITUalem PAROECIAE  
ADMINISTRATIONEM MEDIIS AC ADIUMENTIS

Q uum, praecedentibus capitibus, de mediis ad gratiam consequendam, itemque de dupli itinere percurrente dixerimus, scilicet, de Sacramentis ac Dei et Ecclesiae paeceptis quanta proposito nostro opportuna erant tradiderimus, vix alia cuiquam videatur fusius disserendi occasio. At, quidem, prout divinae caritatis est, non modo promissa fideliter exsequi, sed super illa longe plura addere ac adiicere, ita ut alia plura christiana vitae in paroecia servandae rationes indigitemus, responsionis nostrae ratio postulat. Quae quidem haud minoris necessitatis aestimanda, quum si haec non adhibeantur, quae coeteroquin Pastoris officia sunt, vix illa necessaria obtineri possint, quum et visibilis Ecclesiae indoles illa sit ut, non modo Spiritus Sancti gratia interius adspirante, sed et hominum industria exterius adiuvante, fideles adolescent coram Domino et ad perfectae plenitudinem aetatis Christi adducantur. De hisce, igitur, exterioribus mediis adiumentisque adhuc disserere oportet, quae recte perpendentibus in directis ac indirectis dispescere opportunum censemus.

## Articulus I.

## DE MEDIIS DIRECTIS.

## § I — De verbi Dei dispensatione in genere.

SUMMAE RERUM. — 443. Tridentinae Synodi in re paeceptum. — 444. Quae huius munieris praestantia. — 445. De sacri oratoris remota ac proxima paeparatione. — 446. Pastoralium concionum materia quae. — 447. In dicendo quomodo se habere orator debeat. — 448. De eleemosynis inter concionandum quaeritandis. — 449. Quorum concionandi officium sit, et qui ad hoc adsciscendi. — 450. Quomodo concionatores habendi. — 451. Quando cooptandi sint.

443. — *Praecepto divino, mandatum est omnibus quibus animarum cura commissa est, oves suas verbi divini paeedicatione pascere. Qui paroeciales, vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo*